De
Antigonae stasimo secundo.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

BENNO BORN.

IENAE, 1867.

TYPIS RATII.

DE

ANTIGONAE STASIMO SECUNDO.

V. 586 — 592.

ὅμοιον ὥστε ποντίας [ἁλὸς]
οἶδμα, δυςπνόοις ὅταν
Θρῄσσῃσιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,
κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν
θῖνα καὶ δυςάνεμον,
στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀκταί.

Primum versum sic omnes libri exhibent excepto cod. Laurentiano A, qui altera manu emendatum praebet ποντίαις omisso ἁλός: at neutra lectio antistrophae metro satis respondet: quae difficultas tollitur, si aut primam vocem delemus aut ultimam. Iam vero quaeritur, utrum ὅμοιον an ἁλός retinendum sit. Atque mihi quidem suspiciosum videtur ἁλός, quod ne scholiasta quidem legit, qui ad hunc locum addidit haec: ὅμοιον ὡς ὅταν Θρῄσσῃσι ποντίαις δυςπνόοις πνοαῖς οἶδμα ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ κ. τ. λ.: exspectare enim debebas eum, cum singula verba ordinet (τὸ ἑξῆς), non omisisse genetiv. ἁλός ad οἶδμα addendum. Quocirca recte coniecisse videntur Martin., Herm., Wex., Schneidew. aliique, qui censuerint, in glossis habendum esse ἁλός: inprimis au-

tem haec interpolandi caussa fuit, quod, cum legeretur ποντίας, hoc adiectivum genetiv. ἁλός postulare videbatur: eiusmodi autem additamentum commendabant quodammodo loci illi Homerici: h. Cer. 14: οἶδμα θαλάσσης, h. Ap. 417: ἅλιον οἶδμα.

Altera porro quaestio oritur, utrum ποντίαις an ποντίας legendum sit: ἁλός autem eiecto ποντίας nullo modo ferri potest, at ποντίαις etiam scholiasta tuetur (cf. Martin.). Iam quamquam πνοαί abundant quasi epithetis, tamen haud scio an Sophocles consulto et arte quadam πνοαῖς δυςπνόοις addiderit „ποντίαις“, ut quasi ventorum flatum depingat. — Primam autem vocem deleri iussit Seidlerus, quem secutus est Bergk. in editione sua Sophocl. (Lips. 1858): contra Meinekius censet ὅμοιον esse servandum —id quod comprobo—, cum nullam iustam caussam indagare possit, cur quis ad ὥστε illud vocabulum addiderit: quin etiam idem suo iure, ut opinor, contendit, frigidum quasi atque ieiunum apparere ὥστε non apposito ὅμοιον. At idem vir doctissimus artificiosius quam verius hunc locum sanare studuit: ποντίαις enim ut emendationem grammatici alicuius repudiat: itaque legit ποντίας, eiicit autem ex eodem versu ἁλός metri gratia: cum vero propter ποντίας non prorsus mittere possit ἁλός, id ipsum eliciendum putat e seq. versus verbis ΟΙΔΜΑΔΥC unde levi mutatione scribere liceat: ΟΙΔΜΑΛΟC., pro πνόοις autem in eodem versu scribit πνοαῖς: denique, ne versu seq., ubi omnes libri tuentur πνοαῖς, novae difficultates exoriantur, id ipsum ita e medio tollit, ut pro πνοοῖς scripserit ῥοαῖς. — Praeterquam quod ἁλός suspectum habeo, desidero etiam δυςπνόοις, quod epitheton ad de-

piagendam illam vehementissimam periculosissimamque tempestatem aptissimum videtur esse. — ἔρεβος vocatur ὕφαλον, ut summae atque teterrimae tenebrae significentur, quales esse solent violenta tempestate orta. cf. Geibelii hosce versiculos:

in der Tiefe
Wo die Perle ruht,
Ist finstre Nacht.

Triclinius voluit ἔρεβ. ὕφαλ. esse accusativ., sic enim ille explicat: ἐπὶ τὸ ἔρεβος καὶ τὸ βάθος τῆς ἁλὸς δράμῃ καὶ ἐπέλθῃ τὸ κῦμα δηλονότι: atqui sine dubio hoc loco ἐπιτρέχειν eodem modo usurpatum est, quo apud Hom. Od. 6. 45. λευκὴ ἐπιδέδρομεν αἴγλη. ibid. 20. 357. κακὴ ἐπιδέδρομεν ἀχλύς, ut significet „superfundi“: inde sequitur, ut ἔρεβ. ὕφαλ. sit nominativus.

v. 591. 92.

Vulgatam horum duorum versuum scripturam iam supra indicavimus. — θίς potissimum de fundo maris intellegendum est; etenim vehementissima illa tempestas non solum summum sed etiam imum mare excitat: haud secus atque gravissima calamitate non modo afflictantur, qui primi ea afficiuntur, sed etiam posteri posterorumque nepotes. Tricl. similiter θίς explicat: ἤτοι τὴν ἐν τῷ βυθῷ κεκρυμμένην κόνιν. cf. Verg. Georg. 3, 240: ima exaestuat unda verticibus nigramque alte subiectat arenam.— Qui in seq. versu admittunt particulam δέ, eos coniungere necesse est δυςάνεμον cum θῖνα, id quod scholiasta quoque fecit, qui adnotavit: τὴν ὑπὸ τῶν ἀνέμων ταραχθεῖσαν. At nisi alia notio in hoc adiectivo inest quam haec, non multo, credo, augetur, totius loci venustas, praesertim

cum poeta modo tempestate excitatum mare vividissimis coloribus satis depinxerit.

Multo melius vero quam vel Hesychii aut Suidae, qui quidem δυςάνεμος interpretantur δυςτάραχος, τὸ κακοὺς ἀνέμους ἔχον, Wexii explicatio mihi convenit: „difficilis vento“, vento difficilis aditu, quamquam δυςτάραχος eodem sensu accipi potest. Sic Triclinius: δυςκόλως ὑπὸ τῶν ἀνέμων ἀνατρεπομένην. Ipsius verbi compositio autem (δυς) non repugnat ei explicationi, quae magis etiam comprobatur notione subst. θίς.

v. 594 — 598. ἀντ. α΄.

Totius loci et sensum et verba haud ineleganter reddidit Jordan (*die Tragödien d. Soph. deutsch v. Wilh. Jordan, Berlin* 1862):

„So scheint's im Labdakosstamme ein Urverhängniss,
„Dass auf der Geschiedenen Leiden Leid sich häufe
„Und kein Geschlecht dem folgenden Sühn' erstreite,
„Es fällt ein Gott sie, der Fluch ist unauflöslich.“

ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι
πήματα φθιμένων ἐπὶ πήμασι πίπτοντ'

ἀρχαῖα adverbii vice fungi videtur, ita ut fere idem significet atque ἀρχῆθεν. — οἴκων autem, id quod strophae metrum docet, corruptum est, exspectabas enim h. l. iambum.

Quod vero emendavit Meinek. ἰδὼν φοβοῦμαι pro οἴκων ὁρῶμαι, quamvis per se ingeniosa coniectura videatur, tamen non probo, cum, ut ipse ille dat, a librorum scriptura longius recedat. Itaque scribas, si placet, pro οἴκων particip. ὀκνῶν „reformidans“. cf. Ai. 139, ubi

invenis subst. *ὄκνος*: *μέγαν ὄκνον ἔχω καὶ περόβημαι.*

Neque minus in versu seq. *φθιμένων* repugnat metro strophae. Hermannus igitur restituit *φθιτῶν*, quod plane congruit metro. Idem enim ostendit Elem. doctr. metr. §. 539, ultimam epitriti syllabam, quem numerum hic habemus, esse ancipitem alio numero sequente. Sic enim procedunt numeri versus, qui nostro respondet: — ◡ — — || — ◡ ◡ — ◡ ◡ — —, *φθιτῶν* autem posito pro *φθιμένων* hic versus antistrophici numerus erit: — ◡ — ◡ || ⏒ ◡ ◡ — ◡ ◡ — —; fortasse igitur prior versus pars habenda est dipodia troch., ipse autem totus versus, cum dipodia troch. syllabam ancipitem admittat, referendus est in asynartetis. — iam vero *φθιτῶν* non solum de fratribus modo mortuis intellegendum erit sed in universum de omnibus iis (cf. v. 596 sq.), qui ex Labdacidarum stirpe occiderunt. Haec enim poëta chorum dicentem facit: „video, si quis Labdacidarum occidit, eius necem statim subsequi nova mala“. Etenim Laii necem secutae sunt foedissimae illae nuptiae, novorum malorum caussae: post Oedipi mortem discordia fratrum perniciosissima exstitit: iam illorum obitus Antigonae mortifer videtur. Sic autem singula cum singulis coniungenda sunt: *ἀρχαῖα ὀκνῶν ὁρῶμαι τὰ Λαβδ. πήματα πίπτοντ' ἐπὶ πήμασι φθιτῶν.*

v. 599 — 604.

νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ
ῥίζας τέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις—
κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν
νερτέρων ἀμᾷ κόνις,
λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινύς.

ἐσχάτας ὑπὲρ ῥίζας potissimum de Antigona intellegendum est, quae comparatur cum ultima radice, quae ex tota quasi arbore Labdacidarum sit reliqua. Sic etiam Tricl.: τὸ δὲ φοινία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κόνις ἀντὶ τοῦ τὴν ἐσχάτην ῥίζαν θερίζει ὁ Ἅιδης. διότι γὰρ ἐκάλυψεν Ἀντιγόνη τὸν ἀδελφὸν Πολυνείκην κόνει, διὰ τοῦτο τεθνήξεσθαι ἔμελλε. — contra φάος vocatur Haemon, qui, quum Antigonam in matrimonium esset ducturus, ipse tum expers ἄτης illius, ultimae Labdacidarum proli spem salutemque allaturus esse videbatur.

In seq. versu libri omnes exhibent ῥίζαςτέτατο: iam vero, ut versus strophae metro respondeat, opus est una brevi syllaba: simplicissima igitur atque verissima Brunckii emendatio mihi videtur: ἐτέτατο: quamquam Herm. scholiasta auctore, qui adnotavit haec: λείπει ἄρθρον, τὸ ὅ· τὸ δὲ λεγόμενόν ἐστι τοιοῦτο· νῦν γὰρ ὅπερ ἐτέτατο φῶς καὶ σωτηρία ἐν τοῖς οἴκοις τοῦ Οἰδίποδος ἐσχάτης ὑπὲρ ῥίζης ἀντὶ τοῦ, ὅπερ ἔβλαστε κ. τ. λ., putat scribendum esse ὅτέτατο: sed pronomen ὅ totius loci disturbat sensum: cum enim scripseris ὅτέτατο φάος, necesse erit referri νιν ad φάος — id quod secus est. Et nequaquam opus erit pronomine: quin etiam multo elegantius sine eo procedit oratio, et ipsum illud asyndeton, quod oritur, aptissimum est, quo magis etiam opponatur, quod altera sententia exprimitur — i.e. salus — ei, quod ostendit altera — i.e. exitium.

Hermannus porro, cum librorum scripturam κόνις diligentissime servaret, summopere enisus est, ut subtilissima argumentatione verbo καταμᾶν notionem quasi obtruderet, quam inesse in eo non facile concedas: ἀμᾶν

vero de Marte dici pugnantes caedente testis est Aesch. fr. 94: φιλεῖ τὰ λῷστα παντὸς ἐξαμῶν στρατοῦ: simili sensu hoc quoque loco usurpatur: at si aliam significationem ἀμᾶν aut καταμᾶν non habet, κόνις ἀμᾶν nullo modo dici potest at vero κοπὶς ἀμᾶν. Refugiamus igitur, oportet, ad Askewii (Reiskii (?) vid. Erf. not.) coniecturam, quam inter alios etiam Schneidew. recepit: Itaque tribuitur deis inferis gladius, id quod comprobatur multis simillimis locis (vide quae exempla collegerunt Erf. Schneidew. ad h. loc.).

Denique radix sane gladio demeti potest, lux autem vel potius salus minime: certe tum usus esset poëta nimis audaci metaphora. Vix igitur in dubio relinquitur, utrum ἀμᾶν referas ad ῥίζας an ad φάος: at κοπὶς νερτέρων θεῶν nihil aliud esse videtur nisi periphrasis poëtica pro Ἅιδης, θάνατος. cf. Tricl.: ῥίζαν θερίζει ὁ Ἅιδης. schol.: θάνατος καταλαμβάνει sc. Antig. Ceterum apud Euripidem Alc. v. 74. Θάνατος gladium gestans inducitur: et apud Hor. ep. II, 2, 178: „metit Orcus grandia cum parvis.“ — λόγου ἄνοια i. e. superbia illa atque pertinacia (cf. v. 483 sqq.), qua Antigona ausa est Creonti resistere: ita enim Eumenides (φρενῶν Ἐρινύς) illius sanam mentem perturbaverant, ut ante factum ignoraret, recte ageret necne (cf. Il. XIX, 87. Od. XV, 234): quo factum est, ut ipsa sibi pararet perniciem.

v. 604 sq. στρ. β'.

Τεάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀν-
δρῶν ὑπερβασία κατάσχοι.

Quum inter omnes fere constet, τεάν inusitatum esse tragicis poëtis, accepi Meinekii emendationem τὰν σάν,

quippe quae ad librorum scripturam proxime accedat. Plane enim ille ostendit, cum τὰν σάν scriberetur in codicibus ΤΣΑΝ, facile fieri potuisse, ut pro illo scriberent ΤΕΑΝ. Sed non possum assentiri eidem, censenti, optativo κατάσχοι opus esse particula ἄν, quam quidem grammaticae leges expostulent: cf. enim Oed. Col. 1418:

πῶς γὰρ αὖθις αὖπάλιν
στράτευμ' ἄγοιμ' εὔτακτον.

Ceterum admissa Meinek. emendatione habebis duos versus logaoedicos, quorum utrique basis praemittitur:

— — | — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— ⏓ | — ⏑ ⏑ — ⏑ — —

quod basis secundi versus non est eadem atque v. antistrophici, mirum non est: cf. Herm. Elem. doctr. metr. §. 106.

v. 606.

τὰν οὔθ' ὕπνος αἱρεῖ ποθ' ὁ παντογήρως

librorum pars παντογήρως pars πανταγήρως exhibet: sed neutrum, quod sciam, adhuc ab ullo interprete ita explicatum est, ut probabilem sensum praebeat: nam non intellego, quo iure Erfurdt. explicare potuerit: „qui ad senium ducit omnia“? Et concedamus, rectam esse hanc interpretationem, quaeritur, cur ita vocetur somnus. Neque minus artificiosa videtur haec Wexii interpretatio: „qui omnia senio afficit, ita ut „senium“ translate dictum sit pro „languore“, „imbecillitate“ (cf. schol.).

His ipsis igitur interpretamentis nihil aliud significari videtur nisi, latere hoc loco vitium, quod irrepsit fortasse libris sequente ἀγήρῳ —, ad quod verbum iam librarius

hoc scribens attenderat animum: inde etiam orta esse videtur lectionum discrepantia παντανήρ et παντογήρ. Itaque Bambergero auctore, qui loco mederi studuit coniiciens παντόθηρος, aliam ego tibi medelam diiudicandam propono:

τὰν οὔθ' ὕπνος αἱρεῖ ποθ' ὁ πάντα θηρῶν.

Certe particip. θηρῶν convenit infinitivo αἱρεῖν, cf. Oed. Col. v. 1026: καὶ σ' εἷλε θηρῶνθ' ἡ τύχη. Ὕπνον autem malo hoc loco deum intellegi, ut est apud Hom. Il. XIV, 231:

ἔνθ' Ὕπνῳ ξύμβλητο, κασιγνήτῳ Θανάτοιο.

Fortasse etiam poëtae animo obversata sunt, quae Somnus ibidem ipse de se confitetur v. 244 sqq., ubi cf. in primis v. 247 sq:

Ζηνὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίονος ἆσσον ἱκοίμην
οὐδὲ κατευνήσαιμ', ὅτε μὴ αὐτός γε κελεύοι.

v. 607 sq.

οὔτ' ἀκάματοι θεῶν
μῆνες, ἀγήρῳ δὲ χρόνῳ δυνάστας.

v. 607. primum non respondet metro, deinde autem θεῶν μῆνες huc non pertinere videntur. Etenim mirum est, ibi subito omnes deos commemorari, ubi in primis vel potius solius Iovis laus atque potentia praedicatur. Quin etiam facile ex his verbis collegas, ceterorum deorum fuisse anni tempora ordinare — id quod longe secus est: cf. Il. II, 134: Διὸς μεγάλοι ἐνιαυτοί. Od. XIV, 93: ὅσσαι

γάρ νύκτες τε καὶ ἡμέραι ἐκ Διός εἰσιν. Quocirca nihil juvabit accepisse Hermanni emendationem: οὔτε θεῶν ἄκματοι, quamquam sufficit metro; nam θεῶν plane eiiciendum videtur, ut additamentum ineptum librariorum. Idem fere censuit Scheidew., quum correxerit:

οὔτ' ἐτέων ἄκματοι
μῆνες.

Neque vero praetermittenda sunt haec schol. verba: ἀγήρων δὲ τὸν τῶν θεῶν χρόνον φησίν, ἐπεὶ μήτε ὑπὸ δυςτυχιῶν μήτε ὑπὸ ὕπνου ἐλαττοῦται. Sed ubinam gentium, quaeso, poëta mentionem fecit δυςτυχιῶν? Adde, quod in illo versu Hom., quem supra laudavimus, Ὕπνος vocatur κασίγνητος Θανάτοιο: fortasse igitur cum Meinekio pro μῆνες scribendum erit Κῆρες. Versum antecedentem autem sic corrigi volo, ut altera emendatio Herm., quam profert in editione sua, recipiatur: οὔτ' ἀκάμαντες.

In seqq. verbis malo legi ἀγήρως, quod etiam confirmat schol. his verbis: γράφεται καὶ ἀγήρως πρὸς τὸ δυνάστας et Tricl. τὸ ἀγήρως πρὸς τὸ δυνάστας σύναπτε. Fortasse etiam melius erit cum Bergk. legisse χρόνου, quod alia schol. nota commendat: δυναστεύων καὶ ἄρχων τοῦ—χρόνου. Accedit, quod Iupiter temporis omnino expers est cogitandus.

v. 611 sqq.

τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον
καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει
νόμος ὅδ' οὐδὲν ἕρπει
θνατῶν βιότῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.

His versibus altera pars huius strophae continetur, cuius totum argumentum bipartitum est: primum enim poëta Iovem, ut omnium vicissitudinum expertem, praedicat: deinde de fragilitate fortunae hominum conqueri videtur. Iam vero contemplemur vexatissimos huius loci versus, dico 613 sq. Primum non dubium est, quin articulus ὅδε indicet, iam sequi legem ipsam vel potius illius verba: itaque post ὅδ' plenius interpungendum erit: deinde, si paulo accuratius verba reddimus, habemus hunc sensum: „ haec lex. (sc. valebit per omne tempus) nihil exsistit in hominum vita, quod non obnoxium sit calamitati". Vides omnia recte procedere: itaque minime opus erat, quidquam totius loci mutari, siquidem exceperis πάμπολις, quod in vertendis versibus ipsi modo consulto omisimus, scilicet ne sensus omnino perturbetur. Atqui vel pleniore illa distinctione, quam post ὅδ' positam esse volumus, sublata offendit πάμπολις: tum, ut paululum sufficiat sensui, coniungendum esset cum νόμος et vertendum: „in omnibus civitatibus valens." At vero ipse locus, quem tenet πάμπολις, ne ita referatur, impedire videtur. Ex omnibus autem huius loci emendationibus optime mihi placet Heathii scribentis: πάμπολύγ' ἐκτὸς ἄτας: πάμπολύγ' igitur coniungendum est cum οὐδέν et explicandum: „nihil, quod quidem maximum sit." Tum exprimitur haec sententia: „nihil, quod quidem maximum (permagnum) sit in hominum vita, calamitatis expers reperitur." Acciperem libentissime hanc emendationem sed totum huius strophae argumentum, quod supra enarravimus, postulat, ut recta fiat et prioris et alterius partis oppositio, sententiam magis etiam in universum dictam. Neque enim poëta dicturus

fuit: „quicquid permagnum sit in hominum vita, calamitate affici“ sed potius: nihil, quicquid omnino in hominum vita exsistat, prorsus tutum esse a calamitate: at Iovem omnium eorum esse expertem, quae homini accidere possint. Ut igitur duae hae sententiae commode opponantur, nostro loco scribas, velim, cum Bergk. pro πάμπολις adverb. παμπαδίς.

ἀντ. β'.

Explicat tum antistropha poëta, qui fiat omnino, ut homines in ἄτην illam incidant: ita enim spes est comparata, aut ut nos bono animo esse iubeat reddatque aptissimos ad quaslibet res easque gravissimas suscipiendas (ὄνασις): aut ut fallacia atque temeritate mentem nostram obcaecet (ἀπάτα), ut ignoremus, quid faciendum fugiendumve sit: quo fit, ut in maximam atque gravissimam calamitatem incidamus.

v. 616 sq.

εἰδότι δ'οὐδὲν ἕρπει
πρὶν πυρὶ θερμῷ πόδα τις προςαύσῃ.

Priorem versum sic omnes libri exhibent: cum εἰδότι igitur coniungendum est sine dubio οὐδέν, et ad ἕρπει ex praecedentibus repetendum ἐλπίς; vel, si magis sensum quam grammaticam spectamus, ἀπάτα. Iam vero si respicis versum strophae, qualem nos eum voluimus, minime verba numero respondent, cum accesserit ἕρπει: id ipsum autem e versu 613, qui quidem in eadem verba desinit, huc translatum videtur errore librariorum. Neque quidquam profecto desiderabis deleto ἕρπει — cf. Nauck.

ad h. l. — Ne autem tibi temere singula verba eiicere videamur, illud te monemus: chorica carmina recensentis esse, ubicunque fieri possit, et librorum auctoritatem non parvi putare et videre, ut numeri singuli strophae et antistrophae inter se respondeant. Duo igitur officia simul sunt praestanda: quodsi utrumque explere non poteris, alteri satisfecisse sufficiet. Itaque delemus ἕρπει et cum Nauckio pro εἰδότι δ' οὐδέν levi mutatione scribimus:

εἰδόσιν οὐδέν

participium tum arctius coniungendum est cum πολλοῖς.

v. 618.

Pars librorum προάρῃ. L. I. ΠΡΟCΑΤCΗΙ. superscripto αἱρεῖ., ceteri et Aldus προςψαύσῃ. Seidler. putavit προςάρῃ mutandum esse in προςαύρῃ, cuius interpretamentum sit προςψαύςῃ. Probavit Seidleri coniecturam ipse Herm. cf. Buttmanni Lexilog. I. pag. 82. Attamen malo retineri L. I. προςαύσῃ, quod idem est ac si scripsisset poëta προςκαύσῃ: cf. Od. V, 490: ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὔοι sc. τὸ πῦρ. Optime enim illud convenit verbis πυρὶ θερμῷ atque totius loci sensui aptissimum videtur: ita enim magnitudo periculi (πυρὶ θερμῷ) inopinati ante oculos quasi posita est. — Ceterum cum πρίν particula ἄν omissa et cum particip. plur. εἰδόσιν sequente singul. numero cf. Ai. v. 965:

ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρὶν τις ἐκβάλῃ.

Tota autem sententia proverbii loco dicta videtur: simili metaphora vel potius allegoria usus est poëta Phil.

1260: ἐκτὸς κλαυμάτων ἔχειν πόδα. Aesch. Prom. 263: ὅστις πημάτων ἔξω πόδα ἔχει.

Sic etiam, ut summum periculum significaret, Hor. od. II, 1. v. 7 sq.: incedis per ignes suppositos cineri doloso.

v. 620 sq.

σοφίᾳ γὰρ ἔκ του
κλεινὸν ἔπος πέφανται,
τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν
τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας
θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν·
πράσσει δ'ὀλιγοστὸν χρόνον ἐκτὸς ἄτας.

v. 620 σοφίᾳ scribendum videtur e schol. explicatione μετὰ σοφίας. Cum autem in v. 622 omnes ad unum libri tueantur infinitiv. δοκεῖν, malo etiam in v. 613. scribi ἕρπειν pro ἕρπει, quamquam ibi Laur. A. exhibet ἕρπει. Cf. exempla, quae ad h. loc. collegit Hecker. Comm. Ant. ed. pr. pag. 369. Perversa autem est Tricl. adnotatio: τοῦτο λέγει διὰ τὴν Ἀντιγόνην δοκοῦσαν τὸ θανεῖν ἥδιστον: immo vero haec verba in Creontem quadrant, qui quum mente obcaecata nimia cum acerbitate atque severitate humanis legibus patrocinaretur, sic violavit iura deorum, ut sibi suisque ipse perniciem pararet.

v. 623. pars codicum ἔμμεν, alii ἔμμεν'. Elmsleius epicam illam formam reformidans scripsit τῷδε μέν (cf. Elmsl. ad Euripid. Bacch. 311): at non opus fuisse videtur ea emendatione, cum Aeschylus in choricis

carminibus ἔσσεται et ἔσκε, et Euripides ἐοῦσαν posuerint (cf. Herm. ad h. l.): fortasse etiam consulto poëta infinitivi formam retinuit, cum dictum illud sapientis (Ionici?) verbum pro verbo laudaret. Denique utrum scripseris ἔμμεν' an ἔμμεν, minimi, opinor, refert. —

v. 624 sq.

duplici sensu ἄτη vox a poëta in his duobus versibus usurpata est: in priore enim versu ἄτη est mens obcaecata: Il. 1. 412. IX, 115, ut idem fere valeat atque Φρενῶν Ἐρινύς (cf. v. 604): in seq. versu autem ἄτη est calamitas, quae statim illam mentis perturbationem subsequitur. — Non debebat Brunck. in versu seq. librorum omnium scripturam mutare: scripsit enim pro πράσσειδ' infinitiv. πράσσειν, ita ut bina verba δοκεῖν et πράσσειν eadem constructionis lege teneantur, et sententia hoc versu expressa referatur etiam ad praeclare illud sapientis dictum. At summa totius dicti modo haec est: mente a deo obcaecata effici, ut turpe ab honesto discernere non possimus: et dictum illud unam tantum sententiam continet eamque brevem, ut in eiusmodi dictis plerumque reperitur. Itaque vers. 625 cum Herm. choro tribuendus erit.

v. 627 — 630.

ἆρ' ἀχνύμενος
τῆς μελλογάμου νύμφης
τάλιδος ἥκει μόρον Ἀντιγόνης
ἀπάτας λεχέων ὑπεραλγῶν;

In his versibus anapaesticis, quibus tum adventus novae personae indicatur tum transitus fit ad ipsum dialogum, νύμφης subditicium esse ipsum metrum declarat: interseritur enim systemati anapaestico versus, qui ab usu vulgari prorsus abhorret: quodsi eieceris νύμφης, habebis monometrum acatalectum, qui quidem frequens est in dimetrorum systematis, ubi basis anapaestica vocari solet (vid. Herm. Elem. doctr. metr. §. 360).

Quid porro apud poëtam his verbis glossae similius esse potest τῆς μελλογάμου νύμφης τάλιδος? Itaque omnes, opinor, uno ore consentiunt, νύμφης esse removendum: quamquam Suidas omnium unus ei patrocinatur his verbis: καὶ Σοφοκλῆς ἐν Ἀντιγόνῃ· Μελλογάμου νύμφης τάλιδος ἥκει: hunc autem locum in Suidae codice Leid. totum omissum esse Martinus monuit. At quid tum fiet de τῆς μελλογάμου? Atque in primis Brunck. refellendus est, quippe qui putarit, poëtam hoc epitheto rarius nomen τάλιδος interpretari voluisse — id quod a perfecta Sophoclis arte alienum videtur. Iam vero scholiasta adnotavit haec: τᾶλις λέγεται παρ' Αἰολεῦσιν ἡ ὀνομασθεῖσά τινι νύμφη: porro exstat glossa [εἰς τὸ αὐτό] νύμφης. Ex his igitur duabus adnotationibus colligere licet primum: et scholiastam et, qui glossam apposuit, legisse modo τᾶλις: deinde τᾶλις iam per se significare virginem maturam eamque sponsam: Id etiam magis affirmant Hesych. atque Zonaras, quorum ille vocem explicat per ἡ μελλόγαμος παρθένος, hic per ἡ νύμφη. Neque Eustathii verba p. 962, 35: ἴσως δὲ καὶ ἡ παρὰ τῷ τραγικῷ τᾶλις, τουτέστι μελλόγαμος παρθένος, μελλονύμφη, et pag. 699, 26: ἡ παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ μελλό-

νυμφος τάλις vocem μελλογάμου tueri videntur: altero enim loco ille τ[illegible], eodem modo explicat atque ceteri, quos lauda[illegible]mus, testes: altero autem loco respexisse videtur versum 633. nostrae fabulae.

Pollucis autem verba, qui μελλονύμφη explicans ἡ μέλλουσα γαμεῖσθαι addidit haec: βέλτιον δὲ, ὡς Σοφοκλῆς ὠνόμασε, τῆς μελλογάμου· ταύτην δὲ καὶ τάλιν λέγει: primum declarant, τῆς μελλογάμου voce fere idem significari atque τάλιδος, deinde μελλονύμφη praeferendum esse voci Sophocleae τῆς μελλογάμου: quo sensu enim illius verba accipienda sint, indicat unus codex, ubi invenis: βέλτιον τῆς κατὰ Σοφοκλέα μελλογάμου: βέλτιον igitur ad praecedens μελλονύμφη referendum est (cf. Herm. ad hunc Antig. vers.): itaque illum offendisse videtur vocabulum τῆς μελλογάμου: quanti autem Suidae auctoritas hoc loco sit putanda, iam supra indicavimus. Accedit denique, quod Triclinii recensio verba τῆς μελλογάμου νύμφης plane omisit. Quocirca assentior Meinekio, Nauckio, etiam vocem τῆς μελλογάμου in glossis habendam esse.
